



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De fure, qui Coloniae beneficio confessionis mortem euasit, cap. 19

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Circa illa tempora quando positus fui ad literas, fur quidam in cippo tenebatur ante portam Martis Coloniae, quem sacerdos quidam satis laudabilis vitae, nomine Eustachius, eiusdem portae capellam regens, inuisit, confessionem audiuit, & per elemosynas suas visitauit. Et, sicut mihi retulit idem sacerdos, saepe ei ex industria mittebat scyphum suum, in quo ipse bibere consueuit, viderunt hoc homines, & mirabantur. Et cum honor à sacerdote tali furi exhibitus delatus fuisset ad iudices, hominem innocentem putantes, dimiserunt illum. **APOLLONIVS**: Quare non consequuntur omnes rei huiusmodi beneficia per confessionem? **CÆSARIVS**: Non expediret, quia multis fieret occasio peccandi, vult Deus aliquando huiusmodi miracula fieri per confessionem exempli causa, vt quantum animæ, cuius medicina est, valeat, per signa exteriora ostendat. Bene vult vt reus post confessionem puniatur in presenti, ne eum in futuro puniat, quia non punit bis in idipsum. De hoc tibi dicam manifestum exemplum, à quodam ordinis nostri Abate mihi relatum.

Notū ē.

CAPVT XX.

In ecclesia Leodiensi Episcopus quidam fuit, vir religiosus ac timens Deum: die quadam, cum sederet in capella sua solus tempore quadragesimali, & psalterium lectitando venisset ad locum illius Psalmi 105. scilicet: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ingressus quidam ex officio, orationem eius interrupit, dicens: Domine, quid iubetis vt fiat de illo criminoso? Episcopus misericordia motus, respondit illi: Parce pauperi propter sacrum tempus quadragesimæ. Recedente iudice, vt reum dimitteret, Episcopus reflexit oculos ad Psalmum dimissum, statimque occurrit ei versiculus; Beati qui custodiunt iudiciu, & faciunt iustitiam in omni tempore. Qua voce territus, ac si diuino responso correptus esset, & etiam instructus, sicut reuera fuit, iudicem reuocauit, dicens: Discute causam diligenter homi-